

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

Suscipis causam] Saepe iam dixi, *causam* pro eo, quod agitur, usurpari.

Commentarios] Perpetuam ac diligentem, nullis ingenii luminibus distinctam, rerum narrationem. *Commentarii* enim dicuntur, qui materiam historiae praebent. In

Bruto c. 75. de Caesaris commentariis: *Nudi sunt, recti, et venusti, omni ornatu orationis, tamquam veste, detracto. sed diu voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam: ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit.*

EPISTOLAE XIII.

ARGVMENTVM.

Ciceronem in obitu filiae Luceius litteris consolatus erat. eae litterae quantum profecerint, et simul quam omnis recuperandae rei publicae spes amissa sit, haec epistola demonstrat. Caesare IV. consule, sine collega.

EXPLANATIO.

Beneuolentiam] Quae ipsa per se valet ad consolandum; coniuncta vero pari prudentia, multo plus.

Pari prudentia] Rationibus ad leuandum curas accommodatis.

Non aliunde pendere] Quod perfectae virtutis est: sine qua fortunam quotidie cogimur timere. *aliunde* igitur *pendet*, qui extrinsecus, id est ab ipsa fortuna, exspectat omnia. Haec tota sententia ex Platonis Epitaphio sumpta est: *Ὅτι γὰρ ἄνθρωποι εἰς ἐκὺτὸν ἀνῆρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέρονται, καὶ ἐγγὺς τέτα, καὶ μὴ ἐν ἄλλοις ἀνθρώποις αἰωρεῖται, ἐξ ὧν ἢ εὖ ἢ κακῶς πράξαντων πλανᾶσθαι ἠνάγκασται καὶ τὰ ἐκείνη, τότε ἄριστα παρὰ σοφῶν ζῆν.*

Aut bene, aut male] Fortunae enim arbitrio vel beatam vitam vel miseram exspectat, qui virtute caret.

Suspensas] Minime firmas. incerta enim sunt, quae in fortuna

ponuntur. Praeclare in hanc sententiam pronunciauit illa Cicero in Parad. 2. *Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se vno sua ponit omnia. cui spes omnis, et ratio, et cogitatio pendet ex fortuna; huic nihil potest esse certi; nihil, quod exploratum habeat, permanfurum sibi vnum diem.*

Tempestatum] Aduersa tempora *tempestates* vocat, translatione usus, ut lib. 4. epist. 3. *Multo ante, tamquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram.* Cum, inquit, ego quoque fortunae vim contemnerem, praesidii satis esse ad omnes casus in vna virtute existimaram; ab hac tamen sententia, temporibus vexatus, prope defeci: sed me labantem confirmarunt litterae tuae.

Concurfu] Concurrentibus in me calamitatibus, suoque impetu insitam illam opinionem non omnino quidem, sed aliquantum labatantibus atque conuellentibus.

Contin. fu]

Conuulsa] Metaphorae conclusio: quam in verbo excidisset, institutam, verbis deinde similibus exceptam, et ad exitum sententiae conseruatam videmus. *Conuellere* autem plus aliquanto significat, quam *labefactare*. nam *labefactare* mouere est, non amouere et auferre: *conuellere* vero, ita mouere, vt separatio sequatur. itaque seorsum, quasi diuersa, ponuntur in orat. pro Cluentio c. 2. *Si quam opinionem iam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio conuellet, si oratio labefactabit.* et lib. 2. de Orat. c. 51. *Ne conuellere adorianur ea, quae non possint commoueri.*

Proximis litteris] Binis igitur litteris Ciceronem Luceius consolatus erat. nam de posterioribus in eo significat, cui te opitulari et video. de prioribus, cum ait: *et id fecisse etiam proximis litteris, multumque profecisse sentio.*

Sed etiam declarandum] Potest enim obscura esse significatio, cum non omnia signa perspicue demonstrent; declaratio non potest. Pro Milone c. 2. *Si unquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, ubi sua studia erga fortes et bonos ciues, quae vultu et verbis saepe significassent, re et sententiis declararent.*

Itaque] Quiddam accederet ad sententiam, si legeretur, atque. nec tamen, itaque, reiiicio, praesertim ab antiquis libris comprobatum.

Haec aliquando futura meliora] Hic locus ostendit, Luceii consolationem adhibitam esse non ad eam tantum sollicitudinem, quam ex obitu filiae Cicero capiebat, sed ad moerorem etiam ex reipublicae pernicie susceptum, idemque con-

firmatur infra, in eo loco: *Et domestica feremus, ut censes: et publica paullo etiam fortius fortasse, quam tu ipse, qui praecipis.*

Casus gladiatorii] Gladiatorum similitudine Luceius probare studuerat, non esse penitus de re publica desperandum: cum saepe, qui iam victus ab aduersario gladiator videtur, is ita conualeat, vt victorem prosterнат.

Vetabam] Non quod re vera proficerent, sed eo spectabant, vt ad aliquam spem traducerer. ex quo videbam, te aliqua spe teneri: cum ego prius desperem.

Cum aliquid speres] Cum ego nihil sperem: et, qui nulla spe tenetur, eum esse fortem quis non miretur?

Ita affectum] Eo calamitatis et miseriae reductum.

Fractum debilitatumque] Vt enim integris firmitas, ita fractis debilitas inest sic lib. 1. epist. 9. *In te potissimum fractam illam et debilitatam vim suam contulit.* Pro Flacco c. 26. *Auctoritate tanta est, (Atheniensium vrbs) et iam fractum prope ac debilitatum Graeciae nomen huius vrbs laude nitatur.* Lib. 1. de Orat. c. 26. *Adolescentulus sic initio acensationis exanimatus sum, vt hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simulac me fractum ac debilitatum metu viderit.*

Monimentis ERN. Monitis] Tantam apud se esse Luceii auctoritatem ostendit, vt, quamquam de re publica prorsus actum putet, dolorem tamen, eo monente et praecipiente, abicere decreuerit.

Domestica] Interitum filiae.

Spes

Spes aliqua] Ob rationes a te collectas, maximeque ob gladiatorios casus.

Vt tu tamen idem] Adductis iam rationibus ad aliquam subleuandae reipublicae spem accommodatis, ad illam postremo consolationem Luceius confugerat, vt diceret, vel in summa desperatione fortitudinem tamen esse Ciceroni praecipue retinendam. cur enim qui maximas res, aduersis patriae temporibus, fortissime gesserit, idem non perpetuo se sui similem, id est, fortem constantemque praebet?

Conscientiae] Quod est maximum solatium in malis. lib. 4. epist. 3. *Me quidem multa iam consolantur, maximeque conscientia consiliorum meorum.* et lib. 6. epist. 1.

Te auctore] Consilio tuo.

Gessimus] Catilinae tempora significat. tunc enim maxime virtus Ciceronis enituit: et eas saepe res gloriose commemorat.

Ab animo cuiusquam, aut consilio hominis] In opprimenda coniuratione non animi tantum sed consilii quoque praestantia opus fuit. ideo coniungit vtrumque in epist. 7. cum ait: *Quae, cum veneris, tanto consilio, tantaque animi magnitudine a me gesta esse cognosces.*

Aliquid] Quid amplius potuit? Nimirum haud paullo plus, quam satis est, auidior gloriae fuit Cicero noster: quod ipse ad Dolabellam scribens, lib. 9. epist. 14. ingenue

confessus est. nos autem amemus ingenium, et imitemur, quantum licet, eloquentiam, cuius in illo praestantissimum habemus exemplum: si qua tantis virtutibus adpersa labes fuit, vt est saepe naeuus aliquis in pulcherrimo corpore, dissimulemus potius, quam reprehendamus.

Ad ea] Ad illa praeclara philosophiae studia, quae maxime post euerfam reipublicam coluit: quod eius indicant scripta, de Officiis, de Finibus, Tusculanae disputationes, et alia.

Secundae res ornantur] Quia philosophiae praeceptis ita nos gerimus in secunda fortuna, vt ab omnibus temperantiae laudem consequamur.

Aduersae adiuvantur] Tum quia philosophiae tractatio ita delectat, vt a ceteris molestiis animi abducatur: tum etiam, quia, quod absit a culpa, non esse malum persuadet, ideoque nec magnopere dolendum. Laudat eadem studia lib. 4. epist. 3. et lib. 6. epist. 12. et lib. 9. epist. 2. 3. et alibi saepe.

Iisdem studiis] Sic malo, vt est in duobus antiquis libris, quam, vt in duodecim, *iisdemque studiis.* copulam non video necessariam esse, et additam suspicor e coniectura, quod illud, *animorum coniunctione*, ad verbum fruemur, referendum videretur: cum a se ipso potius regatur; vt sit: ideo simul esse videbimur, quia fruemur iisdem studiis, animis coniunctis.